



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis  
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus  
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,  
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

**Raemond, Florimond de**

**Coloniae Agrippinae, 1655**

IV. Seniores crimina ad Consistorium deferunt.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10880**

aratrum redit, iidem omnes qui ante. At si quis unquam vidit, audivit aut legit, in Ecclesia Dei cum qui ante meredem animas iudicavit, post meredem in eadem turdisse? Multis illud disputatur, utrum melius sit, iudicem malum esse aut ignorantem. Plerique a meo consentiunt, ignorantiam in hoc munere periculosiorem esse quam malitiam. Illa enim velut continua quædam febris est, hic vero morbus sua habet intervalla. Potest etiam malus bene facere ac iudicare: sed ignorans atque imperitus semper cæcus, semper iniustus, semper malus est. Quid ergo boni à Consistoriali illa ignorantia expectare quis posset? nisi forte eo ipso momento quo Consistorium ingrediuntur, quodam cœlitus dala pfa affantur sapientia, eodem modo quo Lemnius febricitantes quosdam se vidisse scribit, qui durante paroxylmo, diserti admodum & eloquentes fuerunt; pristinæ vero sanitati restituti, a pristinam redierint brutalitatem.

II. In Calvinianis istis Consistorijs ad minimum septem iudices sedent, ad tribunalium nostrorum exemplum. Existimabant enim ut de vita, ita de anima quoque hominis non minus quam à septem iudicibus sententiam esse ferendam. Fortasse etiam antiquam illam legem cuius apud Quintilianum fit mentio, imitari voluerunt, his verbis conceptam: *de vi septem iudicent. Quod maior pars staturit reus patitur*. Cuius etiam Agellius meminit, inquit: *De reo septem iudices cognoscant: eaque sententia sit rata quam plures ex eo numero dixerint*. Sic ergo unus catholicus, unus mercator, unus proxenera, unus sartor, unus furor, unus hortulanus, unus faber ferrarius, simulque septem numero, de rebus Ecclesiasticis decernendi animasque ad Oream demittendi habebunt potestatem. Hic enim excommunicantur fratres, & cœteribus ac Sacramentis a cœtur, Ministro sententiam excommunicationis è suggestu pronunciant. Quod si leges civiles non permittunt, ut de stullicidio, de via, de sepe, aut quacumque alia re controversa sententiã quicquam pronunciet, quam qui in eo studio bene versatus, & ad hoc munus aptus iudicatus fuerit: quanto minus ad animarum hoc seu conscientiarum iudicium homines imperiti assumendi sunt, qui tanto sunt imperitiores quanto minus suam ipsi imperitiam atque ignorantiam agnoscunt.

III. Sed & hoc primitivæ Ecclesiæ consuetudini plane repugnat, quod officia ista apud Calvinistas non sunt perpetua, sed personæ vel singulis

annis, vel altero quoque anno mutantur. Eadem nihilominus magna ambitione expetuntur: adeo ut nobilis quidam præfate Bullionio Duce, Franciæ Marefcallo, qui eam religionem amplectitur ac magno studio propugnat, dicere non dubitarit. *Si Officia ista Consistorialia vanè proponantur, non minorem inde in hoc regno quam ex Casualibus, ut vocant, pecuniam confici posse*. Qui his funguntur passim, ac præsertim Montalbani, & Bergeraci, sedes suas iuxta ipsam Ministri habent cathedram, tamquam conscientiarum iudices ac magistratus: ex quo non minus quam Consules olim ac Dictatores apud Romanos omnib<sup>9</sup> sunt formidabiles. Jactant enim, sui quoque muneris esse Ministrorum auctoritatem in æquilibrio continere, ac potestatem moderari. Apud Geneveses certe in ijs quæ ad ecclesiæ pertinent inspectionem, communem habent cum Ministris curam. Sic quos veritate retinere non poterant, dignitatibus istis suis partibus obnoxios reddunt. Tam insperata vero dignitas, quæ ex sutrina ad conscientiarum tribunal nullo suo merito, nulla probitatis aut doctrinæ commendatione extolluntur homines triobolares ita inflat atque insolentes reddidit, ut ne gravissimis quidem viris cedere sustineant.

IV. Consistorio, quod vel in templo, vel in Ministri ædibus celebratur, Minister præsidet. Quod si plures eiusdem ecclesiæ sint Ministri, Præsidis munere fungitur is cuius partes sunt ea septimana concionari, idemque suffragia colligit, & decreta pronunciat: sic ut in munere hoc nec ætatis, nec ad hoc necessarium virtutum & qualitatium ulla habeatur ratio. Semel vero aut bis singulis septimanis Consistorium habetur, in quo Seniorum querelæ & accusationes contra quoscumque in medium proferuntur. Etiam si enim sæpe ingentes trabes in suis ipsorum gestent oculis, tamen eis aliorum ingredi ædes & minutissima quæque rimari, permistum est. Hi expiscantur quomodo parentes liberos suos, mariti uxores, domini familiam universam tractent, qualem vitam singuli agant, quomodo rem familiarem administrent; adeo ut etiam thori conjugalis secreta eos latere non possint. Iidem hinc inde per civitatem obambulantes, aures semper arrectas habent; ac vel fristilli iactum, vel musicorum instrumentorum sonum, vel cantum, vel cachinnum in Reformatorum ædibus perceptum, statim in iudicium vocant. Cæteros quosdam novisse se inquit, qui ob hanc solem im-

portunitatem ab ipsis defecerint, dicentes, *Malle se ultro peccata sua sacerdoti confiteri, quam exploratores eiusmodi ferre, a quibus ob verbum aliquod asperius quod vix uxori dixit, aut risum solutiorem, omnibus audientibus tam ignominiose traducantur. Neque enim vel minimum esse quod Consistorij effugiat censuram: quæ ipsa Hispanica Inquisitione multo sit durior.*

V. Unus ex senioribus Bardigalensis nostræ Curiaë caudicis narravit mihi, se, quum iuuenis adhuc militia illius reformatæ vexillis nomen dedisset, ad Consistorium aliquando fuisse delatum quod in virginis cuiusdam sinu manum immisisset; & quidem a Ministro, qui eandem virginem uxorem sibi ambiebat. Ille intellecta accusatione. Præsidi, & Senioribus aliisque Consistorialibus, inter quos & delator ille erat, adfidentibus, respondit, *Fateri se, manum in virginis sinu à se fuisse immisissam, sed non aliam ob causam, quam ut fertum sive corollam quam iuuenis ille Minister (expresso nomine) ei dederat, auferret.* Addens, *nequaquam sibi vel Ministerij gravitate, vel Consistorij dignitate, ipsius denique Ecclesia integritate dignum videri, ut talibus rebus Consistorium sese immisceat. Esse hoc hominum ocio suo & munere abutentium.* Tum Consistoriales omnes magno impetu consurrexerunt, non aliter quam si blasphemiam velut tonitruum fuissent exciti: se vero per ostium celeriter erupuisse, ac relicto sacro illo Senatu, postremum Vale religioni illi dixisse. Aiebat idem, inter Consistoriales illos fuisse sutorem, qui pedibus ipsius paulo ante calceos induxerat. Tot tantisque ineptiis ignoscas Lector rogo: quæ non possunt non auctorum suorum esse similes.

## DE ABUSIBUS ET SCANDALIS quæ circa Consistoria illa frequenter contingunt.

### CAPUT IX.

#### ARGUMENTUM.

- I. *Seniores (quos vocant) vicinorum more & facta ob-  
servant.*
- II. *De Scribis & libris Consistoriorum.*
- III. *Quam multis nugis h' referri.*

IV. *Intemperies Consistorialium in reprehendendo ve-  
stium luxu.*

V. *Quam inutiles sæpe sint Consistoriales illa admoni-  
tiones & correctiones.*

VI. *Scandala inde orta.*

VII. *Consistorialis confessionis notabilis historia.*

I. **Q**uid ergo est, quod Seniores illos ad explorandos vicinorum actus, etiam data ædes pro lubitu ingrediendi omniaque rimandi potestate, à Ministris in specula veluti constitutos latere possit? Quid tu putas non dicturam mulierem cerebrosam, iracundam, zelotypam, stultam; quæ bili sua & domum suam & totam viciniam possit percellere? Exploratores quidem isti idem speculum sæpe circumferunt, quod ille qui nihil præter nomen Romani habuit, non tam ut suam ipsi videant turpitudinem, sed ut aliorum errata vero maiora faciant atque ostendant. Postquam Lamia ista diligenter omnia excusserunt, & in commentarios relata, Consistorio legenda exhibuerunt: ad reum mittitur tabellio sive Monitor; qui si non se sistat, nomen eius à Ministro publice in concione citatur: quod si tertium vocatus, etiam emanat, à Cœnæ communionem excluditur. At si morigerum idem se præbeat: filium, Consistorio sistitur, & capite nudo in angulo aliquo stans, veniam non minus sollicite petit quam expectat: quæ tamen aliquando non datur, nisi crimen publice, ac sæpe coram inimicis suis falso: sicque etiam occulta crimina in lucem produuntur. Quæ sane acerbissima est, præsertim apud cordatos ac verecundos homines, animorum tortura.

II. Dum ita causa in Consistoriali illo iudicio ventilatur, scriba penes quem Iniquitatem Ecclesiæ sunt commentarij, & accusationem & confessionem, & sententiam diligenter perscribit. Hic vero plerumque uxorem habet & familiam, quam etiam libri huius vitæ ac Consistorialis thesauri beneficio facile potest alere. Quod vero secretum, quod silentium hic seruetur, Deus nouit. Certe non qui testis, sed qui iudex etiam fuerat, si postea ei cum reores sit, causæ suæ præsidium hinc petere sine vlla religione videmus. Librorum istiusmodi custodes sunt Ministri, qui eos non secus ac Parliamentorum Registra inferciunt: quibus legendis eorum uxores non tempus modo fallunt, sed commatrum se compotricum suarum vitam, egregie depictam intuentur. Reballius lepide ait,